IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 76r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



Inter alia tue dispositionis sacramenta michi reuelata
video passionem tuam qua mundus redimendus est et ita
certus sum quod Asperges me sanguine tuo qui per ysopum
que est humilis et medicinalis designatur et lauabis me
et incomparabiliter de albabor
Auditui meo dabis gaudium et leticiam de absolutione
peccati quam audire meruero dimissa sunt tibi peccata tua et
leticiam de eternis bonis que promittis absolutis dicens absolutis
Venite benedicti patris mei et exultabunt vires mee que
prius peccatis erant conturbate
Et ut possit exultare Auerte faciem tuam a peccatis
meis ut amplius ea non aspicias ad puniendum et omnes
iniquitates meas dele preteritas presentes et futuras
Dele iniquitates meas oro et eis deletis Cor mundum
crea in me deus per gratiam iustificantem quam tu solus re-
stituere potes et quia curuata est per peccatum rectitudo spiritus
mei ad terrena spiritum rectum tendentem in deum innoua intus
in anime mee viribus
Ne proicias me a presencia tua et lumen et semitas et
spiritus sancti gratiam quam michi penitenti et confitenti tua
benignitate iam dedisti non aufferas a me
Hic intellige prophetie donum quod sibi preciosius est omnibus rebus
Redde michi leticiam salutaris tui scilicet xpi per quem fit re-
missio peccatorum et spiritu principali scilicet sancto principante et donante
super omnia confirma me ne iterum peccem ne a te cum
mutabilitate discedam
Cum reddideris michi leticiam non ingratus ero sed
Docebo iniquos uias tuas et precepta tua verbo ut decli-
nantes a viis prauis penitenciam agentes mea consequantur
docebo etiam exemplo quia dum michi peccatori parcitur
aliis spes venie datur quis enim ad conuersionem non daret
animum ut rex et propheta concesse sibi venie prestabat exem-
plum hinc sequitur et impii ad te conuertentur per
penitenciam